



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Quod sit obiectum seu materia huius Tertiæ Partis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Ad Tertiam Partem D. Thomæ  
D E  
INCARNATIONE VERBI DEI.

INDUCTIO.

*De Obiecto huius Tertia Partis.*

**R**iusquam ad primæ quæstionis explicationem accedamus, enodanda sunt quedam præludia præmij loco.

DVBIVM I.

*Quod sit obiectum seu materia huius Tertia Partis?*

**R**espondeo, hæc pars continet tres Tractatus, qui diuersam habent materiam subiectam. In primo, agitur de Christo Redemptore generis humani, diuinâ humanâque naturâ constante, eiusque excellentiâ, meritâ, & satisfactionibus, aliisque humanitatis mysterijs, vsque ad quæst. 60. In Secundo, de instrumentis quibus redemptionis meritum nobis applicat, nosque iustificat: quæ sunt septem Sacramenta. In Tertio, agit de resurrectione, vitæque beata; quæ est finis nostræ redemptionis & iustificationis.

Itaque primi Tractatus obiectum, est Christus Deus & Homo; quia hic agitur de admirabili illa vnione, qua effectum est vt eadem persona esset Deus & homo; & de ijs, quæ ex hac vnione tanquam proprietates quedam sequuntur. Non tamen hic agitur de omnibus quæ ad naturam diuinam & humanam pertinent, sed illa supponuntur ex 1. parte. Vnde hæc tractatio ordine doctrinæ posterior est 1. parte, in qua de diuina & humana natura seorsim agitur. Posterior etiam est parte 2.; tum quia tractatio finis, prior est tractatione mediorum: atqui causa finalis Incarnationis fuit liberatio à peccatis, collatio gratiæ, & virtutum, & beatitudinis; de quibus agitur in parte 2.; tum quia consideratio eorum qua naturâ suâ nos ordinant in finem vltimum, prior est, quàm quæ solum ex positua Dei ordinatione ad salutem disponunt.

Dices, Christus Dominus est quid singulare; de singularibus autem non est scientia, vt dicunt Philoſophi: ergo Christus non est obiectum huius scientiæ.

Respondeo Primò, Theologia considerat communem rationem vnionis hypostaticæ contentam in hoc indiuiduo; quæ ratio est communibilis multis: Deus enim omni creaturæ rationali hypostaticè vniri potest; sicque Theologia considerat illud singulare, sub ratione formali vniuersalis.

Respondeo Secundò, De singularibus potest esse fides, quatenus subsunt diuinæ reuelationi:

& ita ex illis tanquam ex fidei principijs possunt colligi necessariè conclusiones modo scientifico.

Addo, Multa tractari in Theologia, non tam modo scientifico, quam historico; vt sunt, gesta Christi & Sanctorum; & multa facta diuinæ potentia, quæ per modum exemplorum vel rerum mirabilium adducuntur; vt ex illis mores informantur, vel diuinæ perfectiones meliùs intelligantur. Huiusmodi ferè sunt quæ habet D. Thomas à quæst. 27. vsque ad 60.

DVBIVM II.

*Quomodo diuidatur hic Primus Tractatus qui est de Christo?*

**R**espondeo, In quinque Partes. Prima est, De vnione Verbi & humanæ naturæ, & de ijs quæ hanc vnionem sequuntur. Secunda est, De natiuitate eius seu ingressu in hunc mundum. Tertia, De progressu vitæ illius, miraculis, aliisque operibus. Quarta, De morte Christi, seu egressu ex hoc mundo. Quinta, De regressu ad Patrem; resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris.

DVBIVM III.

*Vtrum hoc mysterium conuenienter dicatur Incarnatio?*

**R**espondeo, Etsi olim quidam Catholici veriti sint vti hac voce, vt ait Athanasius sermone de Deipara, ne viderentur sentire cum Apollinaristis Christum solam carnem sumpsisse sine anima rationali, tamen recepta est ab Ecclesia & Patribus, saltem à tempore Concilij Nicæni, in cuius Symbolo habetur, *Et incarnatus est*, & deinceps positum est in aliorum Conciliorum Symbolis. Omnes etiam Patres ea voce vtuntur. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 2. Ambrosius toto libro de Dominicæ Incarnationis Sacramento. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 15. Vocatur etiam à Græcis *εἰσαρκωσις*, id est, *Inhumanatio*: ita Inhumanatio, Damascenus lib. 3. cap. 6. & cap. 11. de Orthodoxâ fide: & Concilium Ephesinum in epistola ad Nestorium. Vocatur etiam aliquando *Corporeatio*: ita Tertullianus libro de carne Christi; vt Hilarius.

1  
Diuiso  
Tertia  
partis.

Obiectum  
Tractatus  
de Incarna-  
tione, est  
Christus  
vt Deus &  
Homo.

2  
Quomodo  
de Christo  
potest esse  
scientia.

4  
Incarna-  
tionis di-  
uersa no-  
mina.

Corpore-  
ratio: vt  
110.